

Bibliothèque numérique

medic@

**Forget, C. P.. - An hepatitis
inflammationis certa signa ? An post
mortem laesiones propriae ?**

1829.

Paris : È typis J. Gratiot
Cote : 90975

10.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,
JUSSU REGIS OPTIMI,

ET EX MANDATO SUMMI REGLE UNIVERSITATIS MAGISTRI,
INSTITUTA ANNO M.DCCC.XXIX.

AN HEPATIS INFLAMMATIONIS CERTA SIGNA?

AN POST MORTEM LÆSIONES PROPRIÆ?

THESES,

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus, subjiciet et dilucidare conabitur,

DIE MENSIS AUGUSTI M. DCCC. XXIX;

C. P. FORGET, Santoniensis,


DOCTOR MEDICUS.

PARISIIS,

È TYPIS J. GRATIOT,

Via vulgo dictâ du Foin Saint-Jacques, n° 18.

1829.



CONCERTATIONIS JUDICES.

PRÆSES..... Doct. ESQUIROL.

PROF. CAYOL.

FIZEAU.

JUDICES..... { ADELON.

CHOMEL.

ANDRAL.

LANDRÉ-BEAUV AIS.

GAUTHIER DE CLAUBRI.

VICARII.....

COMPETITORES.

D. D. MAILLY.

DEFERMON.

GUILBERT.

LÉGER.

HOURMANN.

AYME.

BROUSSAIS.

CHANEL.

DELMAS.

SANDRAS.

D. D. GUEBARD.

BERJAUD.

SANSON.

MENTÈRE.

DUBOIS.

ROYER COLLARD.

VIDAL.

GUILLOT.

REQUIN.

GAIDE.

QUESTIO

MEDICO CANDIDO,

DILECTISSIMO SOCERO,

DOCTORI

BOREL.

D. V. G.

C. FORGET.

GUASTO

MEDICO CANDIDO

DR. J. A. GUASTO SOCERO

DOCTORI

BORREL

D.A.C.

C. TORGET.

QUÆSTIO

AN HEPATIS INFLAMMATIONIS CERTA SIGNA ?

AN POST MORTEM LÆSIONES PROPRIÆ ?

Judicium difficile.

(HIPP., Aph. 1.)

PRIMA PARS.

AN HEPATIS INFLAMMATIONIS CERTA SIGNA ?

Sub præcordiis, dextrâ parte latens, fatali privilegio, privato vasorum systemate dotatum, secretioni humoris nutritioni necessarii præpositum, et mole, et in quantum omnibus animalibus ferè proprium, tām medicis, quām physiologie cultoribus studium commendat jecur.

Læsionum, tamen, ejus natura adhuc flebili obscuritate involvitur. Inter sese, in sæcula, unus alterum transcripsisse videntur auctores; facesque anatomes pathologicœ recentes, accuratè peritis, laboriosis que hodiernis exploratoribus versatæ, nil nisi varias organi mortui species illuminârunt.

Hujuscemobscuritatis causas naturales animo volventes, illas perspicimus, 1° in munero organorum magni momenti, varièque sentientium, quibus circumdatur hepar; 2° in conditionibus immobilitatis et opacitatis, quibus variis diagnosis modis ad viscera cava et moventia spectantibus, destitutum manet.

Quām levi, etenim, sensibilitate fruens, ventriculo, et intestinis duodeno, cœco, colo, reni dextro, septo transverso, ejusque

intermedio , pleuræ , basique pulmonum junctum , peritonœo vestitum , receptaculum annexum præbens cujus affectiones difficultatum novum fontem afferunt , secrezione fungens cujus materia , in intimis partibus fluens , jàm perversa foras appetet , tot et tantas deceptionis causas cum paucis visceribus partitur hepar.

Hepatis inflammatio hepatitis nuncupata est ; at verbum *inflammatio* , præsertim à paucis annis , tot modis spectata fuit , ut , si , posthac , illum servare voluerimus , sensum à nobis adhibitum planè explicare incumberet . In quantum phenomenon simul rubore , calore , tumore , doloreque compositum , parùm frequens est jecoris inflammatio : in quibusdam , tantùm , casibus affectionis acutissimæ se præbet , casus , prædicendi gratiâ , solùm sinceram hepatitum patéfacentes , tametsi rubor et tumor , etiam in cadavere , quām difficillimè judicandi sint . Eodem , tamen , phenomeno affectiones tām diversæ tributæ sunt , ut illas enumerandi nobis instabit necessitas , naturam veram , quantum ad nos attinet , existimando . Idcirco verbo *inflammatio* utemur , quasi incrementum proprietatum organismi significans , quinam sint , alioquin , ejusdem effectus aperti . Indè sequitur nos , quod irritationem vocant , eodem verbo compellere . Expressè , tamen , lectores monitos cupimus nos irritationem concipere , solùm ut principium solitum quod diversas organorum loesiones movet , nullo modo , autem , quasi illas constanter et naturā constituat ; dùm quid sint , penitus sæpè nos effugit .

Duas hepatitis varietates cognoverunt antiqui , nām *Celsus* modò longam , modò acutam dicit , id est acutam et chronicam . Sic illam describit : « Dextrâ parte , sub præcordiis , vehemens dolor est , idemque ad latus dextrum et ad jugulum , humerumque partis ejusdem pervenit . Nonnunquām manus quoque dextra torpet , horror validus est , ubi malè bilis evomitur ; interdùm singultus propè strangulat . At hæc quidem acuti morbi signa sunt : longioris verò ubi suppuratio in jecinore est ; dolorque

« modò finitur, modò intenditur, dextrâ parte præcordia dura
 « sunt et tument; post cibum major spiritûs difficultas est. Acce-
 « dit maxillarum quædam resolutiō; ubi inveteravit malum, venter
 « et crura pedes que intumescunt» (de Remediā, lib. 4.). *Galenus*
 (de Loc. affect. lib. 5) Huic descriptioni adjicit linguam rubram aut
 nigram et cibi fastidium; Inflammationem gibbosarum aut cava-
 rum partium distinguit; hydropem à scirro refert.

Galeni dictis parùm adjecernit aut equidem mutarunt poste-
 riores; divisiones quasdam, memoriæ causâ referam. *Amatum Lusitanum* transcribens *Sauvages*, septem species hepatitis notat,
 id est: erysipelosam, pleuriticam, muscularē, cysticam, obs-
 curam et suppurantem. Quidam summam et imam distingunt
 hepatitum; at summa aut peritonei, aut vicinarum partium sœ-
 piùs, cum inflammatione confunditur; et demùm possibilitatem
 hepatitis affectas distinguendi partes permulti recusant (*Robert Thomas*). Alii acutam et chronicam admittentes, secundam, ta-
 men, describere declinant: talis est *Cullen* qui, nihilominus,
 acutum in membranâ, chronicam in substantiâ existere dicit.

Ad lucem inducendam in hâc materiâ, symptomata ad ipsum or-
 ganum attinentia distinguere conabimur: hâc jacet maxima diffi-
 cultas; tot sunt enim vicinæ partes, ut jecur sæpiùs ægrum visum
 fuisse quâm fuerit prosectò, sit putandum.

Hepatis acutæ signa sunt aut generalia, aut ad organum ipsum
 pertinentia. Inter priora, plurima, plurimis morbis communia
 sunt, talia horripilatio, febris, etc.; in organo sistentia signa sunt:
 dolor, moles, durities, forma; alia quædam ad ejusdem functiones
 spectant; ultimaque aliis functionibus, propter morbum turbatis,
 sistantia.

Hepatitis chronicæ signa eadem, nisi longiora nec non obscuriora
 constant. Singula pensaturi sumus.

IN ORGANO SISTENTIA SIGNA.

Dolor.

Idiopathicus, omnes regiones hepatis occupare potest; molem totam; autem, rarissime; continuus aut intermittens; summus aut imminus; spontaneus aut tactu variove motu provocatus; vivus aut levis; fixus aut erraticus; aliquoties solum symptomata per plures annos, denique, turbatis digestionibus, icteroque superveniente, hepatitis patet; modò nullus usque ad mortem, omnium affectionum hepatis comes, varius etiamque nullus in singulis esse potest; potius tamen acutam hepatitum comitat; in cancre pungitivus intermittensque dictus, ab illo abesse aliisque morbis adesse visus est; calculorum bilis signum frequens, pleuritide, peritoniti, duodeniti, pyloriti, nephritidi, variisque aliis affectionibus persæpè simulatus est.

Quid, autem, de sympathico scapuli larygisque dolore dicam? DD. *Rostan* (*Cours de Méd. clin.*), et *Louis* (*Mémoire sur les Abcès du foie*). Ferè negatus, certè rarior est quām vulgo dicitur; illum, tamen, səpissimè vidit D. *Kapelaér*, et unus ex dilectis nostris sodalibus, D. *Gonnet*, Brestensis, qui epidemicam hepatitum observavit, in classe Ducis *Bougainville*, indicum mare lustrantis, anno 1825, dicit (*Dissert. inaug.*, 1827) dolorem scapuli dextri constantem esse cùm hepatis dextra pars afficitur; abesse, autem quām pars sinistra malè sola se habet; sine jecoris ipsius dolore existere posse; rariorem illum laryngis esse; unum et alterum quām pravum symptomata præbere.

Quin etiam iste dolor humeri aut rheumatismo, vel pleuritide peritonitive moveri potest.

Alii sunt in hepatitis variis dolores caput, pectus aut membra occupantes; alter est icteri comes, is est prurigo qui per se ipsum aliás existit.

Ergo dolorem certum hepatitis signum non esse probatum manet.

Moles, durities, forma.

Visu, tactu, percussioneque percipiuntur.

Visu forma ventris nota; sed cùm ad pectus procedit jecur, visum fallit, nisi costœ extrâ propellantur.

Tactu constant latitudo, durities, asperitatesve. Cùm ad sinistrum vergit tumor, aut ventriculi aut splenis affectum fingere potest, aut vice versâ : vidi semel in clinicâ prof. *Fouquier*, omentum magnum, durum et globulosum, molem cancerosam simulare. Pube tenus progreedi visum est hepar ; variis tumoribus collecti- nibusve liquidis thoracis et abdominis propulsum, errorem non nunquam suscitavit : talis erat ovarii cystus de quo loquitur prof. *Andral* (Clinique medic).

Aut major aut minor ritè potest esse durities; ad illam, in secundâ parte dissertationis, revertar. Hoc unum *Hippocratis* transcribam aphorismum : « In ictericis hepar durum fieri malum » (sect 6. aph. 42).

Planum, gibbosum, anfractumve sistit hepar. Varietas est tumoris in medio depresso, id est, gallicè, *en godet* (*Bayle*) pro signo conceris dati, sed aut adesse in illo morbo, sicut in cæteris, aut abesse videtur ; quamvis haud negligendum sit signum illud.

Puris aut hydatidarum collectiones, tactu solo aliquandò prodeunt. (J. L. Petit *Andral Récamier*.)

Percussio, præsertim adjuvante cylindro prof. *Laënnec*, processum ad pectus rectè denunciat ; auxilia præstare potest plessimetro D. *Piorry*.

Vel acuta, vel chronica, hepatitis cum aut sine tumore constat ; fugax aut persistens, cum singulis hepatis affectionibus, absq[ue] illis, se præbet intumescentia; aliis, tamen, signis adjunctum, signum pretiosum est.

Icterus.

Una, tantum, nota hepatis laesio, in qua semper se præbeat icterus, is est ductuum choledoci aut hepatici obstructio (*Andral*); at illius obstructionis multæ sunt hepatiti alienæ causæ, tales sunt calculi, jecinorisque varii tumores; sed, ductibus integris, idque sœpius, (*Louis*, loc. cit.) icterus fit; omnes jecinoris morbi, cum aut sine ictero, sistunt, nullique frequentius quam alii. Cùm sanum est jecur, duodenum, pleura diaphragmatis, encephalum, nullum ve viscus ægrotat; cùm icterus vivo animi motu, subito supervenit, putat prof. *Landré Beauvais*, non bili, sed certâ sanguinis modificatione fieri (*Semeiot*). Etiamsi non pateat morbus, icteri progressus interdùm insidiosus est: tres prof. *Andral* (loc. citat.) observationes exhibuit, in quibus mors subito supervenit, unam in dissert. inaug. nostrâ præstavimus (des Infl. de la Navigation), in qua phreneticus obiit æger.

Ergò sat, super que, probatum est icterum hepatitum non absolutè denuntiare; signum, nihilominus, pretiosum et ferè certum, dolori tumorique junctum. (*Louis*.)

Hanc materiam, egregio æmulo tractandam, relinquo; opinionem tamen nostram, de colore cutis in icterode typho manifestandi non prætermittimus. Colorem istum sanguinis suffusioni quidam tribuunt. A plurimis quidem scriptoribus, hepatis affectionum inconstantiam aut absentiam notatam fuisse certum est; nūm, tamen affecti jecinoris conditions sat notæ, ut sic nodus expediatur? Quin, imò, icterum sine jecoris participatione admittit prof. *Andral*, secretionis absentiam, non minùs quam bilis absorptionem, sufficere putans. Adjiciemus: 1° icterum verum interdùm lividum et propè nigrum; 2° suffusionem cutis in typho americano nunquam ecchymosis meræ speciem præstare, ut in scorbuto, exempli causâ; 3° morbos cum ecchymosi po-

tius in frigidis regionibus se præbere , ut scorbutus typhus ve
proprius ; 4^o influentiam caloris , miasmatum , stimulantium abu-
susque , in bilis organo , memoriae revocabimus ; 5^o observationem
referemus *D. Gonnet* (loc. citat.), qui suffusionem ictericum ,
paulò post recentem mortem , apparere in hepatiti , sicut in febre
luteâ vidit , auctoritati junctam *DD. Devèze , Dubreuil , Ro-*
choux , etc. ; 6^o deniquè nos observasse dicemus in Antillarum epi-
demias , annis 1821 et 1826 , cum medicis pluribus Americanis ,
certam jecinoris speciem serè constantem , quam medicus superior
Fortis Regii (Martinique) specialiter gallicè nuncupabat *cou-*
leur gris-paille , speciem illi hepatis pinguis aliquantulum si-
milem.

Nùm facta certa oculis percepta , nescio quædam sanguinis cor-
ruptioni à nullo visæ , non sint à nobis anteponenda ?

Huic digressioni ignoscatur , quæso , tempore quo medicorum
mentes exagitat historia morbi , cuius bis et diù fui testis et actor ,
incolumis , ægros et cadavera permulta tractans , ità ut indolem
contagiosam illius negare coacti simus , pro casibus quos observa-
vimus , scilicet .

FUNCTIONUM ALIARUM TURBATIONES.

Plùs quàm læsiones organi ipsius sæpè apparent ; antè aut post ,
simul aut solæ , adesse possunt : in ultimo casu , morbum patefacit
necropsia sola ; aut demùm nullæ sunt , quod , præsertim , cùm gi-
gnuntur hydatidæ observatum .

Digestionis læsiones hepatitum sæpè præcedunt : ità res se ha-
bere quotiescumque non mecanicè læditur hepar quidam dixerunt ,
quod est negare partes sanguinis , bilisve in inflammatione susci-
tandâ , hodiè non sustinendum . Observationes duas producit prof.
Andral , in quibus venis mesaraïcis traductum est irritamentum
(oper. citat.). Modò gastro-anteritis sequitur ; in utroque casu non
hepatitum probat , nisi hujus ce symptomata maneant . Nec enim bilis

ipsius vomitus , nec fluxus , certè jecinoris phlogosim denunciant , quoniā rītē advenire , stimulantibusque curari possunt . Symptoma , autem , gastrica pro hepatiti cavæ faciei habita sunt , ut dolor epigastricus , vomitus , simulque singultus iste ab *Hippocrate* (sect. 5 , aphor. 58) et *Celso* (op. citat. , lib. 3) ut pathognomonicus datus , et in hepatiti verā maximè damnosus . (*Landré Beauvais* , loc. citat.)

Circulationis turbatio præsertim in acuto morbo movetur ; maximè varium est illud symptoma ; interdùm febris organi morbum obscurat , ut in abcessu illo de quo loquitur prof. *Andral* , medico prof. *Chomel* (*Cliniq. midic.*)

Periodica hepatitum sequi aut præcedere potest febris ; in febribus , sicut in dejectionibus , *biliosis* dictis , turbari bilis , jecore planè sano videtur , nām bilis elementa superfluere aut peccare satīs est .

Respirationis turbationes , ut dyspnæa , tussis , organo dolente fieri possunt ; sæpius , verò , ad laesiones organorum respirationis proprias pertinere censeri debent , quamvis inflammationis gibbosæ faciei signa pathognomonica , simul cum dolore vivo , prodita sint .

Secretiones . Apud ictericos urina bilem denuntiat , antequām cutis flavescat (*Clarion*) ; sudor et mucus ipse eodem colore afficiuntur ; ossa deniquè ipsa lutea vidiit *Stoll* (*Ratio medendi*).

Frustrà in humoribus bilem invenire tentaverat celeberrimus *Fourcroy* , feliores illo , materiam coloris ejus ex urinā et sanguine secreverunt DD. *Magendie* , *Chevreul* et *Lassaigne* .

Feces subalbæ aut cineraceæ bilis absentiam notant in intestinis ; at ista phenomena non hepatitum probant , ut de ictero dixi .

Ascites sæpè vasorum jecoris obliterationem sequitur , tunc diffilimè cognoscitur causa .

Nutritio. Marasmus hepatitis chronicæ, ut multorum morborum, comes communis.

ERGO, nunc patet, in hodierno statu scientiæ, nullum solum hepatitis certum signum esse in ægro; solum, etenim, plurium concursu judicatur morbus; et tunc, etiam, nil nisi major adest probabilitas: nam plura falsa elementa factum verum constituere, summo jure, nequeunt. Idcirco, miramur D. *Louis* dixisse (loc. citat.) duo signa non, tria autem, hepatitum probare. Hæc tria signa sunt: icterus, dolor et tumor. At si absque aliis unumcumque adesse potest sine inflammatione, simul se præbere poterunt cum propriis causis, et idem, absque inflammatione. Tunc, autem, probabilitas ferè verum exæquat, quod sufficere debet, in nostræ flebili scientiæ obscuritate. Id de acuto morbo dicitur; at si de chronicò loquamur, longè major fit difficultas. Signum, tamen, proprium cujuscumque affectionis esse dicebat celeberrimus *Bayle*, sed scientiam cum illo mors improba rapuit. In circumstantiis quibusdam quas annotavimus solummodò paululum suspicari possumus.

Nunc quærendum an mortis reliquiæ lumina certa nobis tradere possint.

An hepatis inflammationis certa signa? An post mortem laesiones propriae? - [page 13](#) sur 23

SECUNDA PARS.

AN POST MORTEM LÆSIONES PROPRIÆ ?

Ut culta est anatome pathologica, plerique scriptores diversas hepatis lœsiones acervatim ediderunt. Tales sunt Th. *Bartholin*, *Lieutaud*, *Bonnet*, *Portal*, *Pinel*, *P. Frank*. Classificationem tentavit *Baillie* (Anat. pathol.) Sed semper, verbis deceptus, non magis quām antecessores certas analogias agnovit. Gratos tamen nos præbeamus erga *Morgagni*, qui plus centum jecora morbosa descripsit (de Sed. et Caus. Morb.)

Adjuvantibus ratione, observatione, præsertimque anatomicis investigationibus, hanc materiam clariori, nuper, lumine illustravit prof. *Andral* (Préc. d'Anat. pathol.), de nominibus non quærens, patentes status organi descriptsit, irritativam aliamve naturam relinquentes, ad classes de anatome et physiologiâ instruendas. Ordinem ab illo institutum non sequi non possumus.

Jecoris diversæ cum vicinis visceribus adhærentiæ ad peritoneum pertinent,

JECORIS PARENCHYMATIS MORBI.

Substantiæ duo à *Meckel* et *Andral* admittuntur in jecore sano; una rubra et vascularis, altera autem alba aut lutea et glandulosa.

Sanguine cùm imbibitur, planè rubet jecur, obscuraturque substantia alba; at, contrà, quùm eget cruor, albescit hepar, et lutea maximè appetat substantia.

Rubor aut pallor variis causis exhiberi possunt, quarum inflammatio est una, quod tantùm symptomatibus propriis probatur.

Exsurgunt hepatis species aliæ, ex *hypertrophiâ* unius aut alterius substantiæ: quùm alba superat, videtur *granulosum jecur*, et tūm, invito *Laënnec*, qui *cirrhosim* nuncupavit quod textum novum putabat esse, nil novi formatur; quùm rubra grassatur sub-

stantia, moles autem, variæ, rubræ, invadunt summæ vel imæ, *gibbosum* que manet jecur et *auctum*: illi pondus decem et octo librarum *Bonnet*, quadraginta et octo *Powel*, quisque semel invenerunt; eadem, verò, si minuitur, adest *atrophia* jecoris: disparuerunt vascula, organum tūm apparet quasi retrorridum (*foie ratatiné*).

Gibbositatum sunt causæ diversæ; duas hīc referēmus quas nusquam scriptas legimus:

Aliquoties circūm jecur habenæ membranaceæ aut cellulosæ videntur, inter quas intumescit substantia, quasi in tegumento contineri necquiret: ex quo habenas istas passivè fieri putamus.

Pluriès, in hospitio *Caritatis*, mulierum jecora vidimus, juxta basim thoracis, depressionem transversam præstantia. Scissura modò profunda et angusta, modò leviter depressa constat. Injectinibus probavit D. *Carswell Glascovensis*, illīc obliterata vascula; in imo membrana opaca densaque videtur. Illud phenomenon constrictis vestibus, specialiterque funibus, tribuendum putamus; hæc est opinio DD. *Carswell*, *Fauconneau Dufresne* et *Corbin*, cum quibus observimus. Hoc tam verisimile ut, semel et nuper, ventriculum ipsum similem scissuram præstantem, huic jecoris continuam vidimus: mulier erat anus famula (*femme de ménage*), quas mulieres scimus səpiùs se funiculo stricto, quām vestimento quod gallicè vocant *corset*, thoracis circumdare basim; cùm levis depresso manet potius huic postremæ vesti debetur.

Ergo, jecoris diversæ formæ non semper ex inflammatione decurrunt. Suntne signa inflammationis hypertrophia et atrophia? ut compositionis incremento fit hypertrophia, nonne sic decompositiōnis remissione produci potest, ut atrophia compositionis imbecillitate?

Induratio hypertrophiæ vel atrophiæ, aut sinceri jecoris comes, inflammationem probat cùm congestionis irritativæ symptomata præcesserunt, et præseriūm chronicæ.

Mollities (*ramollissement*) non semper inflammationem, sæpè autem organismi imbecillitatem, ut in scorbuto, patefacit; signum proprium inflammationis acutæ à quibusdam habetur.

Color varius, solus nil significat, quantum ad inflammatianem: rubor sanguini mecanicè aut passivè stagnanti tribuendus; color ste cœruleus (*ardoisée*), tam frequens et diversus, à quibusdam inflammationi chronicæ tribuitur, alii, verò, phenomena cadavericum censem, certis gazis aut decompositioni debitum.

Sanguinis congesti et stagnantis perversio *gangrænam* generare videtur; ergò phlegmasim indicabit, quandò hyperemiæ causa fuerit phlegmasica. Istius morbi signa sunt, priora hepatiti communia, ultima, autem, adynamica, sed sæpius nulla. *Lieutaud*, *Forestus*, *Morgani*, *Portal*, *Bowell*, gangrænam jecoris observarunt; semel, pus in medio collectum vedit prof. *Andral*, (op. cit.); ejusdem affectionis duos casus in hospitio *Caritatis*, non jam diù, cognovi, unum in clinicâ prof. *Cayol*, in quo, simul, abcessus plures aderant, alterum in clinicâ chirurgicâ, durante vitâ insuscipatum.

CIRCULATIONIS LÆSIONES IN HEPATE.

Hepatis *Hyperemia*, id est sanguinis in illo abundantia, vel irritatione, vel fluxu passivo, aut denique circulationis impedimento, edi potest. Ergò falsò asseritur sanguinis stillationem, sicut ruborem, inflammrationem semper tradere. Itidem de sanguinis collectionibus quas *appoplexiam* jecoris nuucuparunt, at hepatitum modò præcedentem, modò succedentem, aut planè absentem, viderunt.

NUTRITIONIS LÆSIONES IN HEPATE.

De hypertrophiâ et atrophiâ, earumque varietatibus, id est, de sede, formâ, duritate et colore, jàm locuti sumus; hic, autem, dicendum hypertrophiâ haud secùs ac hyperemiâ jecoris molem augeri posse,

Adesse potest atrophia sine ullâ molis varietate , at tunc cellularis textus proprio jecoris textui supponitur (*degeneration cellulouse*). In illo textu novo productiones novæ generari possunt , tales sunt hydatidæ (*transformation hydatidique*).

Cellulosane , aut hydatidica degeneratio , ab irritamento procedunt ? Nonne , potius , certum vis formativæ decrementum probant ? organisationem complexam instruere nequens , hydatidas promit natura (*Andral*) .

(*In cartilagine aut osse degeneratio* , nil nisi nutritionis aberrationem significat , absque circumstantiis accendentibus .

SECRETIONIS LÆSIONES IN HEPATE.

In certis casibus quām obscuris , at frequenter in tabidis (*Bayle*) , jecoris appetet certa species quam gallicè vocant *foie gras*. An quia tabe laborantes minus in pulmonibus , plus , autem , in jecore hydrogeni moliuntur ? Non in degeneratione , sed solū secretione , cum parenchymatis atrophiā constat. An hīc , etiam , sisteret vis formativa , nedūm adesset inflammatio ? Non omittendum , tamen , prof. *Chomel* , unum pingue jecur , de quo pus stilabat , in academiā præbuisse .

Hepatis *abcessus* spontanei , id est , absque traumaticis læsionibus nati , quām rari sunt : nunquām ex his vidit in hospitio suo (*salpêtrière*) D. *Rostan* ; inter quadringinta et triginta cadavera , quinque solū invenit D. *Louis* ; inter centum et quinquaginta ferè , à principio presentis anni , unum solum invenit D. *Corbin*.

Substantiæ ipsius suppurationem dubitandam putant aliqui , plures autem certam probaverunt , inter quos D. *Louis* , qui pus semper in parenchymate vidit ; is , simul et prof. *Andral* , pus istud semper sincerum dicunt ; sunt , enim , qui pus seculentum (*lie de vin*) negant. *Hippocrates* , autem , primum in tunicā et bonum , secundum (*velut amurca*) in parenchymate et malum constare dicebat (sect. 7 , aph. 45).

Pus expelli potest : aut , viâ fistulosa , trans tegumenta ventris , thoracis (*Sénac*) , axillæ (*Portal*) , cruris (*Bajon*) , coxarum (*Richter*) , lumborum (*Millar*) , umbilici (*Smettius*) ; aut ad pectus , trans diaphragma et pleuram irruit (*J. L. Petit* , *Morand* , *Morgagni* , *Larrey* ; modò bronchiis expuitur (*Schrædter*) , sæpius in peritonæo evadit ; alias in ventriculo intestinis ve aliis fluit (*Sibbern* , *Sandermann* , *Garnett* , *Bajon* , *Andral*) ; apertus visus est abcessus in ipsâ cholecystide (*Morgagni* , *Lassus*) ; semel in venâ cavâ (*James*) nec non in pericardo (*Smith*) .

Ex centum casibus abcessuum , unum solum in lobo sinistro , et tres apud mulieres invenit *Clark* ; ex quo frequentiores in lobo dextro et in viris putat.

Pus ipsum , quod typus inflammationis habet , inventum est in jecore sano , post operationes , vulnera , diutinas suppurationes (*Mareschal* , *Dissert. inaug.*) , aut in phlebitide , metritide , capitidis vulneribus (*Dance* , *Archives*) , at , in postremo casu , sæpius in pulmonibus , quam in jecore pus invenit *Morgagni* , hoc , demum , in medio sanguinis coagulo vidit professor *Andral* , (*op. cit.*). Sic revertitur mera metastasium doctrina , jam antiquis observationibus probata : sic pus vectum in venâ cavâ viderat *Th. Bartholin*.

An sunt hepatis suppurantis certa signa ? Tantum abest ut impossibile cognitu profiteatur D. *Louis* , cui facile creditur , si hepatitis ipsius obscuritati attendimus . Quantum ad externa signa , ad chirurgiam spectant . Ex quinque casibus quos refert D. *Louis* , unus penitus latebat ; itidem de solo D. *Corbin* observato , cuius historiam illius benevolentiae debitam breviter narrabimus .

OBSERVATIO.

Vir nomine *Levasseur* , operarius , quadraginta et sex annos natus , in hospitio Caritatis ingressus est die januarii trigintesimâ

(1829). A quindecim diebus constipatus , horripilationem , tussiculam , oppressionem , sitim , pulsum mediocriter fortē , calorem cutis , dolorem in præcordiis levem præbebat . A tergo , dextrâque parte thoracis , runcus subcrepitans levis percipiebatur (*venæ sectio sanguinis cum inflammatoriâ crustâ*). Runcus et ferè febris evanescunt , at stupor levis , abdomen tumidum , tibiæ cujusque , præsertim sinistræ oedema , sitis , anhelatio , prostratio , denique mors , nonā die februarii , et decima post ingressum .

Necropsia.

Calvaria : Non aperitur .

Thora: Pulmones sanguine imbuti , leviterque , parte dextrâ et inferiori , indurati .

Abdomen : Fuscus et abundans liquor in *peritonæo* , quod in ramulis circiter intestina serpentibus rubet . *Mucosa intestinalis membrana pallida* , paululum gemmulata ad pylorum .

Jecur : Intùs , præsertim in lobo dextro , meri puris collectio vasta , pseudomembranâ puri concreto simile circumdata ; trans et circum habenæ aut pilæ , in medio quarum venæ procedunt coagulis sanguineis plenæ ; juxta , jecoris substantia subruba , fusca , paululumque friabilis inest .

Vasa : Venæ iliaca externa , cruralis , saphenaque major largiores , coagulisque plenæ .

Cancer , id est , *scirrum* , *Encephaloïdes* , *colloïdesque* , hodie disreptionis causa frequens , in quâdam secretione quasi fibrinæ consistere videtur . Quin etiam , in vasis ipsis inventa est illius materia , ut vidit prof . *Andral* , utque testem observationem brevi referemus ; præterea mediis , etiam , in sanguineis collectionibus eamdem invenerunt *Beclard* , *Velpeau* , et *Andral* .

Encephaloïdes non necessariò à scirrho præceditur. In medio, jecore moles varias, albas, surgentes, sæpius in medio depressas, quas *Baillie magnum tuberculum album* vocat, et gallicè nuncupant *marrons* (*foie marronné*). Jecoris parenchyma circum atrophiâ, vel hyperemiâ affectum manet; raro percipitur ejusdem inflammatio, cum adest autem illa, an causa sit aut effectus difficilè judicatur.

Canceris inflammatoriam originem agnoscunt permulti (*Boerhaave, Stoll, Broussais*), negant autem alii; facta loqui si-namus:

Ex decem observationibus, de jecore canceroso, a prof. *Andral* editis (Clin. med.), una sola, ventriculo sano, se præbuit, una cum mollitie membranæ mucosæ, una cum gastriti chronicâ, una cum gastro-duodeniti chronicâ, quinque autem, id est media pars; cum ventriculi cancere prodeunt. Adjiciemus nos, inter quatuor, tres casus hepatis cancerosi vidisse cum ventriculi scirrho aut cancere; unum ex iis, quâm maximè notandum referre liceat.

OBSERVATIO.

Vir nomine *Corion*, doliarius, quadraginta et duo annos natus, vigesimâ et septimâ die aprilis (1829) in hospitio Caritatis, clinicâ D. *Lerminier*, ingressus est. Ægrotans à quatuor mensibus, faciem mutatam, colorem quem gallicè vocant *jaune paille*, abdomen dolorosum intùs liquidum ferens, et tumorem globulosum sub xiphоide cartilagine præbebat. Alvum jam diù resolutum, nunc constrictum superest; post cibum acidis eructationibus, epigastricis torminibus, vomitibusque laborat æger (*vene sectio, pilulæ saponicæ, aqua Vichiana*). Crebriores vomitus apparent; (*discutientia supprimuntur, emplastrum ex theriacâ, aqua Seltziana*). Desinunt vomitus; at, hebdomadibus aliquot lapsis, subdelirium, diurna cum morte luctatio, et mors, die junii decimâ octavâ.

Necropsia.

Calvaria : Non aperitur.

Thorax : *Pulmones* (*vide infrà*).

Abdomen : *Gaster* : Ulcerationes , moles schirrosæ aut encephaloïdeæ, ad pylorum, quod eò angustius evadit ; in pariete posteriori , subcæruleus locus , duorum pollicium latitudinem , et ferè fibrosam duritiem præstans , cuius margines ad vicinam membranam planè sanam , sed rugis plicatam , ut cutis ad cicatrices , vergunt.

Jecur quām numerosas moles globulosas (*marrons*), albas , planè sibi similes , duritiem minorem scirrho , majorem encephaloïde præstantes , in summitate cavas , tertiam ferè organi partem contiuentes , parenchymate sano involutas præbet. *Cholecystis* , cuius ductus apertisunt , bile tenui et subalbâ tumet.

Pancreas quām rite durius est.

Capsula atrabilaria dextra opaca , ut scirrhosa.

Prostata lardacea , *mesenterii glandulæ* , *textusque cellularis* sub peritonœ , et *splen* et *pulmones* ipsi globulis ejusdem materiæ sparsi videntur.

Ramos venæ portæ explorans , D. *Carswell* in illis materiam encephaloïdeam ad moles pergentem perspicuè vidit.

Inter varia in hâc observatione eminentia , præsertim presentem in venis tumorum materiam , hancque cicatricem confectam annotabimus. Difficile , quidem , intelligimus quomodò sanari potuerit tantum ulcus , in ventriculo , morboque pergente. Nonne verisimile inflammationem , causam ulcerationis , cancerosi morbi principium fuisse , ipsumque hunc morbum à ventriculo ad jecur translatum fuisse ? Hic patet , ni fallimur , origo phlegmasica ;

quod, supputationi ex observationibus prof. *Andral* deductæ junctum, pertinaciter probat hepatis cancerem organorum digestionis inflammationne sœpissime moveri; at quia scirrum potius quam quisquam alias affectus promovatur longè non explicat.

Fragmentum jecoris in *textu ereditate* mulatum *societati anatomicae* præbuit D. *Pinault*.

Tubercula, vicissim parenchymatis perversioni, hydatidis (*Baron, Dupuy*) inflammationique alborum vasorum (*Broussais*) tributa, certo secretionis modo deberi à quibusdam censemur (*Bouillaud, Andral*). Scepius in pluribus organis, simul et in jecore sparguntur. An illorum sit inflammatio principium aut finis? *Adhuc sub judice lis est.*

Melanosis (*Tuberculum molle et nigrum ex Baillie*) ab antiquis forsitan à *Morgagni* visa est in jecore. Hujus-ce casum refert *Laënnec*; alterum notandum, hypertrophiæ et scirrho junctum, edidit prof. *Chomel* (nouv. Journ. de Méd. tom. 3). Ex inflammatione proceditne? Senibus, autem, in quibus vitæ principium imbecille, propria manet.

De acephalocystidibus jam dixi, quarum obscurissima natura, has, triennio post calcem equinam, formari videntur D. *Goupil*; sicut pus, diversas vias in cule, peritoneo, intestinorum canali, pleurâ, sive bronchiis, nec non præcordiis (*Plater, Guattani, Deviliers*), petunt.

VIARUM EXCRETIONIS LÆSIONES.

Diversas hepatis affectiones partitur cholecystis, illasque obscuriores, etiam, sœpissimè trahit.

BILIS ALTERATIONES.
Bilis naturam raro jecoris lœsionibus congruere jam praesentire fecimus; illam, potius à sanguinis compositione pendere quædam

experiencie probare videntur ; atqui pro solido aliarum secretio-
num se praestare constat (*Crawfort, Magendie*).

ERGO de laesionibus cadavericis dicam quod de signis asserui : nullâ certe patefactâ , pluribus probabilitatem majorem acquirit hepatitis ; id circò , ab D. *Louis* adhuc dissidemus , quod dixerit mollitiem ac ruborem nihil significare , nisi pus , aut dolor , aut icterus accendant . Jecus , etenim , molle et rubrum , pus venis trans-
latum continere , aut calculo dolere , simul et icterum provocare , sine ullâ inflammatione potest .

Diversarum affectionum de quibus disseruimus , sit aut non sit principium inflammatio , numquam obliviscamur omnibus ferè illarum accendi posse , ita ut , sive causa , effectusve , graviorem illarum historiæ partem constituat .

CONCLUSIO.

ERGO : *An sint hepatis inflammationis certa signa , antè aut post mortem , nunc à nobis si petitur , apertè respondebimus : nulla et omnia.*

Nulla singulatim , absque circumstantiis comitantibus ;

Omnia , verò , origine , complicationibus , progressu , remediorum effectu , perspicuè ponderatis ; adjuvantibus , deniquè , diversis elementis , quibus vinculum , quo res junctæ sunt omnes in naturâ , constituitur .

Investigationes illæ , confitemur , quâm multis involvuntur difficultibus ; ad scopum , tamen , alacriter tendenti , pro ratione et stimulo habeatur difficultas .